

B. 191.

19.

MEMORIA ILLVSTRIS VIRI IOANNIS MATTHIAE GESNERI

AVGVST. M. BRIT. REGI AC PRINC. ELECT. BRVN SV. LVNEB.
A CONSILIIS AVLAE PROF. ELOQ. ET POES. P. O. ACADEMIAE
A BIBLIOTHECA SEMINARII PHILOG. IN GEORGIA AVGUSTA
AC SCHOLAR. MAIOR. IN TERRIS BRVN SVIC INSPECTORIS
SOCIET. REGG. SCIENT. GOTTING. COLL. ORDINARII
TEVTONICAE PRAESIDIS ET BEROLINENSIS
SCIENT. SOD. COLLEGII BRANDISIANI
SAXONICI HILDES. DECANI

PIE CVLTA

A

SEMINARII PHILOGICAR. ARTIVM MEMBRIS

INTERPRETE

IOANNE CHRISTIANO RICHARDO

IVR. ST.

EIVSDEMQUE SEMINARII PHILOGICI MEMBRO
HANNOVERANO

SIMVL

QVID VALEAT AD BEATAM MORTEM
VETERVM PHILOSOPHIA

PERSTRINGITVR.

GOETTINGAE LITTERIS HAGERIANIS CLOCCCLXI.



Quantam per hos dies ex vulnere nobis inflicta
grauissimo, cum viro aliquo primi ordinis, tan-
quam benigno quodam sidere late splendorem spar-
gente, orbati lugeamus, tristitiam accepimus dolo-
remque: tantam tamen simul, ex imagine sapientis
omni animi elati atque erecti virtute morientis iucun-
dissima, qua consideratione sese attollit & nescio quid
diuini sentire videtur animus, voluptatem, vel potius
in casu tam acerbo, consolationem percepimus. In
G E S N E R O videre licuit, quantum priscae illius opes
philosophiae cum illis christianaे morum doctrinae
cumulatae valeant, vel ad ingenium pretiosissimis no-
titiis locupletandum, vel ad animum paene supra
humana elatum confirmandum, inque praesertim
a corpore separatione corroborandum. Ex his nu-
dam veritatem, virtutemque naturali pulcritudine
insignem; ex illis vero ornamento coloresque, qui-
bus haec decorarentur, deprompsit, atque conue-

A 2

stirentur pulcerrime. Itaque quoddam praestans, excellens atque plane diuinum existere necesse est. De qua quidem, quae ex his inter se coniunctis oritur, praestantia, in praesenti quaedam in medium afferre, animus est. Quae sane animaduersio, cum illam ipsam praestantiam ita exprefserit **I M M O R T A L I S G E S N E R V S**, vt cuique sui iniiceret admirationem, a proposito nostro plane non videbitur aliena.

Si quid est, quod hominis & virtutes & vitia, illas in lucem ponendo clarissimam, his pellem detrahendo turpissimam patefaciat, profecto mors illud esse videtur. Hic ynuisque peracta fabula abieciaque persona, nudus appetet. Hic regali nuper conspectum in auro, fordinibus squalere, Deique antea contemptorem iam Cerbero Cocytique fremitu perterritum lamentari videoas: eumque qui luculentissimis in rebus diuinis argumentis nihil dederat, iam anili aliqua fabula ad saniorem redire mentem; atque e contrario multos indomitum vitae huius mare iam feliciter emensos, hic veluti optato iam paene in portu, naufragium facere. Quo quidem in gradu stare tam lubrico non nisi excelsi est animi vereque sapientis. Philosophia, illam veram dico, quae indagatrix virtutum atque expultrix vitiorum a Cicerone vocatur, * illa est, quae nos veram edocet rerum naturam, liberat a falsis, quibus a teneris detinemur, opinionibus; illa est aegis, qua contra inanes munimur metus, illa lucem virtutis nobis praefert, & tandem tan-

quam

* Tuscul. lib. V. c. 2.

quam pharus aliquis in portum conduceit exoptatissimum. Quae quidem ubi aut dulcius hauritur, aut splendidius conspicitur, quam in ditinis illis veterum philosophorum scriptis, quae in primis eo pertinent, ut, qui est excellentissimus sapientiae fructus, post vitam innocentem, mortem forti excelloque oppetere animo, addiscamus. Ibi veluti in Poecile aliquod delatus, depictas nunquam perituras coloribus immortalium virorum imagines, Solonis, Pythagorae, Socratis, Platonis, Epicteti ceterorumque fuspicias atque demireris. Quorum de vitae fragilitate omniumque rerum caducitate deque morte contemnenda praeclarissime cogitata splendidissimeque tam animum abripiunt, ut paene sit verendum, ne eadem, quae Clemombrotum, qui Platonis Phaedone lecto sibi ipse mortem consciuisse dicitur, eum inuadat cupiditas. Omnia illuc redeunt, omnia eo collineant. Itaque meditatio mortis a Platone appellata est Philosophia. Atque quid illud tandem est quod mortem tantis circumdet terroribus? nonne illud? opes relinquendae sunt, tamque amatae voluptates;

Non regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidam mirabere.

HORAT. Odar. I. 4.

Sed sedulo fugerant haec illi diuini animi, pro nihilo habuerant, indignum putarunt, humo affigere diuinae particulam aurae. Ita sane est, qui fortunas, honores, voluptates contempsit, illi facile est mortem despicere. Illud Socratis, qui virtutem ipsam spirare videbatur: *quantum non desidero! hominis est omnibus*

A 3

bus cupiditatibus liberi, qui cupit nihil metuitque **nihil**, & quomodo is vel vitam impense cupiat, vel mortem magnopere timeat? Sine dubio optime ille morietur, qui tota vita moritur. Atque quid aliud est, animum a corpore seuocare, a re familiari, a voluptatibus, a republica illum seiungere atque in se ipsum inuoluere atque colligere, quod erat mors illa philosophica. Huc accedit plerorumque philosophorum in primisque Stoicorum sententia, animum in corpore quasi in custodia vinculisque detineri deprimique, morte vero illum euolare atque in altum escendere. Quae opinio, vt fuerit falsa, tamen vim mortis valde minuit. Alii ideo mortem aequo tulerunt animo, quod nihil praeter spem illis accidit, quippe ad omnia paratis, de quo Epictetus pulcerrime praecipit: cum ab itinere domum redis, in animum induc tuum, vxorem esse mortuam, filiam aegrotam, aut seruum fugisse, ita omnia erunt molliora: alii, quod malum esse plane negabant, vt Cicero in Tusculanis (lib. I.) alii quod tantum e domo in domum sese commigraturos existimantes, beatiorem exspectarent vitam. Itaque Socrates moritus iussit, vt gallum Aesculapio immolarent, (quod quidam minus recte interpretati sunt) vt appareat, se iam optime consanuisse. Alii denique, quia integri vitae scelerisque puri, neque Deorum iram neque furiarum flagitiorum vindices, post mortem sibi imminentes, exhorrescebant. "Totiens in vicinia mea conclamatur, tum est, totiens praeter limen immaturas exequias fax cereusque praecessit — Mirer, aliquando ad me pericula accedisse, quae circa me semper errauerunt?" Ita Seneca*, qui mox fructum huius praecepti tulit,

cum

* de Tranquillit. animi c. 11.

cum mortuus est expeditius, quia ferrum non subducta ceruice, nec manibus oppositis, sed animose recepit. Quam vero intrepida atque inconcussa stetit virtute, ille Deus an homo dicam, Socrates!

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

HORAT. Odar. lib. IV. 4.

Illud Arriae: * Paete non dolet, quis est, quem non in admirationem stuporemque coniiciat? Videor mihi videre mulierem pugionem ex pectore extrahentem, atque hilari vultu marito tradentem, serenitatem in fronte adhuc residentem, nec tenebris ipsis mortis turbatam; quae constantia! quae celsitudo animi in muliere vere philosopha! Quid de incredibili illa virtute tot clarissimorum ducum existimemus, quibus pro patria mori dulce & decorum fuit. Concidabant in proelio, sed illorum animus erectus non concidit. Hi ipsi ex scholis philosophorum prodiere atque virtutem ad arma attulere, ut Xenophon, de quo, vtrum scriptor suauior, an dux fortior fuerit, possis dubitare, ex disciplina Socratis, aliique, quos longum est enummerare.

At vero sumus homines nati; crassa menti sensibusque offusa est caligo, atque inter tot errores vix verum cernere licet. Boni malique limites, ut Germanorum poeta Germaniaeque decus ait, sibi immix-

* Plin. lib. III. ep. 16.

tae atque inter se confusae perpetuo fluctuant, ita ut etiam acutissimum saepe oculum fallant, nedum ut profanum vulgus illas discernere possit.

Wie gut und böses sich in engen Schranken trennen,

Was wahre Tugend ist, wird nie der Pöbel kennen.

Kaum Weise sehn die March die beyde Reiche schliesst,

Weil ihre Gränze schwimmt, und in einander
ni nos meup dī eisq. Aish. non. sainia. bull. idem. roebi. V. HALLER Falschheit menschl. Tug. Sunt, qui vitam praeclare finierunt, sed tamen etiam hi aliquantulum a recta aberrarunt via; multique adeo fuerunt, qui, dum exitarunt Charybdis, inciderunt in Scyllam. Dum vitarent, ne morti succumberent, temere se in eam praecipitarunt; dum constantes esse vellent, sine omni sensu & plâne ferrei fuerunt. Quam saepe constantiae monstri aliquid subesse inuenimus! Illa tam multis laudibus ornata constantia Catonis, potius superbi & cedere nescientis animi pertinacia fuerit dicenda. Saepenumero insania furorque speciosum hoc nomen mentiti sunt, vt in illo philosopho, qui: saccum tundis vociferatus non definit in Tyrannum, qui corpus eius lacerare iussit, iniurias euomere atrocissimas. Attamen vera constantia virtute debet nitiri, atque ab animo proficisci sibi bene cōscio: nam si hoc non est, perditissimus saepe latro, qui inter cruciatus ridet, constantissimus erit dicendus laudandus que. Constat porro splendide facta non semper esse optime:

Wie

Wie wenig gleichen oft die Thaten ihrem Grund?

HALLER

Ita inueniuntur fructus, qui pulcrum prae se ferunt speciem sanumque colorem, sed intus nihil, nisi faeda putredo. Gloria, illud aegrē somnium mentis, quam tam multi appetunt, tam pauci consequuntur, quos non stimulis suis excitauit, vt in mortem sese coniicerent praesentissimam. Ita virtutis umbram magis amauerunt, quam virtutem ipsam. O miserum Empedoclem, quem sandalium infortunio repertum a se immortalitatis deturbavit! Sunt inter veteres, qui sibi ipsi mortem conciuerunt, quamvis iam improbati a Pythagora, dicere solito: non inuitu imperatore de vitae statione esse discedendum. Atqui imbecillitatis magis animi quam fortitudinis esse videtur, sibi manus inferre; nisi forte ea est fortitudo dicenda, qua breui praetereunte dolore mala effugere vis duriora. Fuerunt, qui veluti clausis oculis & vt ebrii solent, sese fato suo permittentes, in coecam ruerunt mortem, non absimiles illis Roscii gallici amicis, * qui postquam largiter se vino inuitarant, miseriis huius vitae bene perpensis, in aqua se ibant demersum. — *O virtus, nomen inane! ita frustra te colui!* an tales refers gratias, vociferatur miser ille Brutus, iam ferro vltionem de ingrata virtute capturus. Nae illi multo magis etiam miseri putandi sunt, qui omnibus, quibus ceteri perfruuntur, deliciis pro nihilo habitis, tantum per horrida & aspera virtutis profecti, in fine vitae nondum finem huius incultae regionis cernunt, nondum

* vid. vitam Mollieri edit. Tubing. praefix. p. 55.

B

dum campos amoeniores prospiciunt, incerti, an non omnis post mortem sensus cesseret; quam illi, qui ita sibi persuaserant; cras cinis ac puluis sumus, ergo bibendum, ergo pede libero pulsanda tellus. Atque qui id aliter fieri poterat, cum summi & acutissimi ingenii viri tam de immortalitate animae dubitarent, atque fluctuantur animo. Aut nihil ero, aut bene mihi erit: hoc redit praeclarissima alias de immortalitate animae in Phaedone disputatio. Cicero in Tusculanis * his vitetur. "Nescio quomodo, dum lego assentior, cum posui librum, (Phaedonem) & mecum ipse de immortalitate animae coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur." Atque illud euenire aliter non poterat, cum magis subtiliter quam vere de hac re argumentati sint, cumque praeferunt mens humana ultra, quo progrediatur, quam ut verisimilia videat, plane non habere videatur. Quam haec vacillant: Platonis, quod contraria ex contrariis gignantur, ergo vita ex morte, quod animam tanquam materiam igneam in sublime ferri, necesse sit; Aristotelis, quod anima se ipsum moueret; Ciceronis, quod summi viri tantas moliti sint res, quod profecto non fuissent facturi, nisi certi fuissent, se post mortem superesse. Quae cum ita sint, illam cogitationem animum subire, necesse erat: fortasse aeterno iam & ferreo sopore lumina mea clauduntur, qua cogitatione nihil, ut mihi quidem videtur, tristius potest excogitari, aut quod magis a natura abhorreat humana.

Sed tandem venerunt Saturnia regna; nebulae sunt dispulsae, atque in clarissima luce conspicitur immortalitas animarum. Iam virtus ex puriori manare

* Tuscul. lib. I. c. 25.

fonte, iam firmiori inniti fundamento. In hac ciuitate Deus se ostendit clarissime; manifestantur eius & amor & iustitia, quae istis philosophis non tam clare illuxerant, quibus & probitatem suum praemium & feelus supplicia manere, necesse sit. Sanctioribus religionis Christianae dogmatis imbutus videt quidem, hac in vita quo quisque fere sit melior, eo misericorrem; sed nouit aliam vitam, in qua omnes hae inaequalitates corrigantur. Ibi bilancem tenet iustior alius illo Minoe aut Rhadamanto. Considerat igitur hanc vitam ut partem illius magnae catenae, cuius altera pars non a pede Iouis pendet, ut antiqui fabulati sunt, sed nocte inuoluitur; quae duae partes ad se in vicem perfectissimae adaptatae reperientur: aut, ut alia similitudine vtar, ut quosdam actus imperfecti adhuc ludi, cuius reliqui actus dignum vindice nodum continentis aeternitati sunt reseruati. Ita igitur institutus, omnia ad aeternitatem referens, se hic tantum in peregrinatione aut diuersorio esse, animum inducit, coelumque proprium suum esse domicilium. Iam est moriendum. Quid est illa constantia? acquiescentia in diuina voluntate. Vnde illa tranquillitas? ex recte & bene factorum conscientia. Vnde illa laetitia? ex certa spe vitae beatioris. Quam diuersa ab hac amabili imagine est illa Stoici morientis, cuius per affectatam in vultu tranquillitatem mentis agitationem disparere videoas. At vero interdum Christianum, qui virtutem tota vita coluit, aliquantulum commotum ac turbatum animam ponere videmus. Sed ipsa illa inquietudo virtus est; oritur enim ex tenerrimo quodam sensu: omnibus satisfecit, sed sibi non satisfecit.

Propterèa non minus est fortis, constans, magnanimus. Quae quidem optime eluent ex clarissimis illis martyrum mortibus, quos supra humanitatem positos non vultus instantis tyranni mente quatiebat solida. Atque si etiam imbecillitate naturae deficeret Christianus, tamen lassum reficit, iacentem erigit ille immortalitatis largitor, atque in hac tempestate illi adlucet tanquam benignum illud fidus *σωτηρ* his qui in mare periclitantur.

Etsi igitur veterum ista philosophia multis vrgatur vitiis; & Christiano nihil ad praecolare moriendum videatur deesse: tamen illam huic ipsi multum ad hanc rem afferre, nouamque affundere lucem morti eius, contendere audeo. Ut enim vitiorum ita virtutis felix quoddam esse contagium animaduertimus. Quemadmodum in sole ambulantibus accidit, vt etiam inuiti aliquid coloris trahant: ita praestantissimas illas virtutis imagines, scriptis illorum expressissimas quotidie intuenti accidere necesse est, vt mirabiles illarum concipiat amores, illasque imitandi studio flagret vehementissimo. Itaque *παταρ* *αρεταν* *δεσποτων* *το* *αυτον*, hos flores in alieno orbe natos, in suum immittet fundum. Illos vero non solum imitabitur, sed etiam superabit, cogitans, quantum sola natura duce viderint, quantum sint consecuti. Huc accedit, quod omnium rerum naturam mortisque adeo, & non minus diuinæ gubernationis, ad quam inuestigandam multis exemplis, multa rerum opus est comparatione, melius indagauit, quam quisquam aliis atque percontatus est.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas;
Sed addit poeta:

Atque

Atque metus omnes & inexorabile fatum
 Subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari.
 VIRGIL. Georgicor. II.

Ille specie neglecta interiora rerum perscrutans haud
 vanis, quo vulgus, circumagitur metibus, cui perpe-
 tu oculis obuersantur, terroremque omnibus sensibus
 obiiciunt illa: feretrum, vespiliones, grauis terra, ver-
 mes, quae tamen omnia ad corpus vt pote sensus ex-
 pers non pertinent, & multo minus ad coelestem ani-
 mum pertingere possunt. Quare quae sunt, quae illi
 sapienti metum incutere possent; num praeterita? hic
 sanctitas integritasque vitae respicienti non possunt
 non iucundam offerre recordationem; num praesen-
 tia? harum vim perpetua meditatione assuefactione
 que iam infirmauit ac fregit; num futura? haec laetis-
 simam prorsus habent considerationem, theatrumque
 aperiunt speciosissimum. Coniectura enim animique
 sagacitate ea ibi assequitur oblectamenta, quae sacrae
 litterae sensibus plane illibata praedicant, quaeque in
 contemplandis tot tantisque rebus erunt sitae perscu-
 tandisque. Quo igitur quisque magis in hac vita in
 cognoscendis rebus ingenium exercuerit, eo maiori
 illum perfusum iri voluptate, liquet. De qua re Cice-
 ro: * "totosque nos in contemplandis rebus perspi-
 ciendisque ponemus, propterea quod & natura ineſt
 mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri vi-
 dendī; & orae ipsae locorum illorum, quo perueni-
 rimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum coe-
 lestium, eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt."

B 3

Talis,

* Tuscul. I. c. 44.

Talis, tam sapiente dignus fuit obitus **ILLIVS**, cuius, ex quo nobis tristi interceptus est fato, ut in rebus humanis fere fieri solet, virtutem remotam ex oculis quaerimus audius, illiusque desiderio tenemur vehementiori. Indignum sane foret, lactis **ILLIVS** inuidere rebus; sed tamen tantorum, quae cum **ILLO** amissimus, amissio bonorum, quam maxime sollicitos nos habere debet. Etiam nunc nobis ante oculos versatur iucunda tantarum virtutum imago; (& quae vñquam aetas, quod aeuum tam cari capitis gratam cogitationem animis nostris euelleret?) quas cum admirari proprius contigerit: iam ex illarum consideratione fructum quendam & recordationis & adhortationis capere liceat.

Quanta fuit humanitate, quam dulci suauique morum comitate; raram profecto virtutem in iis, qui se humanitatis appellant cultores! Quanta ingenii bonitate ac dignitate, quae ex eo appareret, quod sibi ideo regum optaret fortunam, vt dulcissima illa bene faciendi voluptate quam saepissime & in quam plurimos, fruendi sit facultas! Quanta denique in aliorum diiudicandis ingeniosis moderatione, quanta modestia; quae adeo in **ILLO** eminens omnium admirationem secum rapuit, vt in primis ab hac tanquam peculiari charactere possit insigniri. Illud Socratis θαυμασον imitatus, humanitati, si quid erat erratum, quam homini, attribuere maluit. Omnia in legendis explicandisque scriptoribus miro quodam artificio ad mores referens, non magis eruditum, quam bonum ciuem, bonum maritum, bonum patrem familias fingere atque

que formare cupiebat. Nullum tempusa bonarum litterarum studio vacandum existimans, etiam minus bona vtens valetudine semper aliquid legit, meditatus est, scripsit, tantaque sciendi cupiditate arsit, vt quemadmodum de Democrito relatum legimus, in ipso adhuc id ageret mortis aduentu. Rebus in aduerfis animosus vi malorum se frangi debilitariue non passus est, quod in obitu optimae coniugis bellique calamitate satis perspectum habemus.

Si vero vitae integritate ac innocentia exemplum nobis proposuit grauissimum: profecto in morte non minus sibi constans mentis tranquillitate & celsissima omnino virtute, nostrum miro quodam sensu animum affecit. Adeo non vehementiae morbi in ILLIVS aliquid licuit animum, vt potius nō subinde vigore florere visus, tranquillitatem suam frontis indicaret serenitate significaretque. Quo quisque est prouectior aetate, eo solet esse amantior vitae. Sed secus GESNERVS. Iam diu ad moriendum paratus, *septuaginta annos longum esse morbum*, aiebat elegantissime. Quamobrem, quod Horatio teste raro accidit, vt conuiua satur e vita excessit. Quid? Vixit beate. Omnia enim consecutus erat, quae mortali licent, rem, familiam, nomen & quod summum est, virtutem: *vixit usque ad plaudite.*

Haec de ILLIVS moribus priuataque consuetudine, non vt aliquem de ea re edoceremus, aut enumerationem, ne dicam descriptionem ILLIVS laudum hic exhiberemus; sed tantum animo nostro satis faciendi, eiusque valde commoti sensus exprimendi causa, quin satis

satis rudi incomptaque oratione afferremus, plane nos
retinere non potuimus. Utinam diuina iam Parrhasii
cuiusdam aut Phidiae arte valeremus, ut totum GES-
NERVM fidelibus, hoc est, praestantissimis pingere
possemus coloribus! sed videmur nobis videre posteri-
tatem hanc de ILLO picturam delineantem. Fuit GES-
NERVS sui seculi Socrates, Varro, Cicero, Melanch-
thon. Quorum singulorum modestiam, doctrinam,
eloquentiam, humanitatem referebat. Fuit in ILLO
romana grauitas & disciplina, attica morum politio-
rum suavitate iucunditateque, mire temperata. Scrip-
ta EIVS Scaligerorum habent salis iucunditatem, si-
ne illius mordacitate. Iam ILLIVS nomen a nobis
omni aeternitati est traditum consecratumque; iam in
templo honoris inter ceteros viros immortales, qui
humanitate doctrinaque de nobis meriti sunt,

statua ILLI omnium consensu
est erecta.



Nr 113.
S 80



n. 1.



B.I.G
Black
3/Color
White
Red
Magenta
Yellow
Green
Cyan
Blue

MEMORIA
ILLVSTRIS VIRI
**IOANNIS MATTHIAE
GESNERI**

AVGVST. M. BRIT. REGI AC PRINC. ELECT. BRVNSV. LVNEB.
A CONSILIIS AVLAE PROF. ELOQ. ET POES. P. O. ACADEMIAE
A BIBLIOTHECA SEMINARII PHILOG. IN GEORGIA AVGUSTA
AC SCHOLAR. MAIOR. IN TERRIS BRVNSVIC. INSPECTORIS
SOCIET. REGG. SCIENT. GOTTING. COLL. ORDINARII
TEVTONICAE PRAESIDIS ET BEROLINENSIS
SCIENT. SOD. COLLEGII BRANDISIANI
SAXONICI HILDES. DECANI

PIE CVLTA
A
SEMINARI PHILOLOGICAR. ARTIVM MEMBRIS
INTERPRETE
IOANNE CHRISTIANO RICHARDO

IVR. ST.
EIVSDEMQUE SEMINARI PHILOLOGICI MEMBRO
HANNOVERANO

SIMVL
QVID VALEAT AD BEATAM MORTEM
VETERVM PHILOSOPHIA
PERSTRINGITVR.

GOETTINGAE LITTERIS HAGERIANIS C¹9¹CCLXI.